



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertatio Theologica De Formulari Ab Illustrissimis Episcopis Belgii Proposito In Causa Jansenii

Claremontius, Johannes

Coloniæ, 1693

§. XVIII. Nihil expromi potest ex Libro Jansenii, quo sensus ejus excusetur:
Mala quæ inde sequerentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40333

verò Titulo hi repugnabunt, quod decreta decretis tunc forent contraria. Causa fallibilitatis & incertitudinis ab istis prætenfa utrobique ex æquo & verè militaret. Cumque alii dogma fidei, alii hæresim in Jansenii sensu experirentur, omnes Ecclesiæ filii Andabatarum aut Cadmæorum fratrum morè digladiarentur. Illi siquidem sensum mordicus amplecterentur & docendo eodem alios imbuerent, quem hi exhorrescerent, & à quo alios tanquam à peste absterrent. Utrique non propriis tantum argumentis, sed præcipuè decretis Ecclesiæ pugnant, multò acrius, multò infelicius quam nunc decertetur. Una siquidem pars definitione Ecclesiasticâ in præsentî destituitur, quæ palmam alteri indubiè tribuit.

§. XVIII.

Nihil expromi potest ex Libro Jansenii, quo sensus ejus excusetur: Mala quæ inde sequerentur.

Dicent fortasse tunc standum fore postremo loco decisîs: nam priora Decreta per posteriora in quæstionibus Facti emendari in Ecclesiâ non est inusitatum. Respondeo priora quidem posterioribus emendari posse docet S. Augustinus, dum, inquit lib. 2. de bapt. cont. Donatistas cap. 3. aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. Ubi nimirum alia testimonia aut instrumenta proferuntur quibus species Facti immutatur.

At in hac controversiâ novo experimento nihil aperitur, ut retractandi judicium locus superfit. Eadem adsunt conscripta Jansenii adversus fidem exposita, & quæ sine accusantis aut testium personis, sine aliorum instrumentorum editione redarguere seipsa apertissimè demonstrantur, ut cum Maximo Aquileensi loquar in Synodo Later. sub Martino I. Propterea accusatio aut excusatio extranea superflua esse dignoscitur, quoniam temeraria conscripta per seipsa apertius accusantur, quæ Mundum conturbasse noscuntur.

Enim verò quid ex istis Jansenii scriptis expromi potest novo experimento, quo præcedens Ecclesiæ judicium corrigatur? Cum enim dogma Fidei Catholicæ sensibilem habeat oppositionem, & discrepantiam cum doctrinâ hæreticâ, si sensus Jansenii cum doctrinâ Fidei Catholicæ consentiret, quam S. Augustinus adversus Pelagianos defendit (uti illi prætendunt fore judicandum) necesse est Ecclesiam cæcitatîs intolerabilis accusare, dum Jansenii sensum damnavit ut hæreticum.

reticum. Ita siquidem uterque prolixâ & accuratâ explicatione quæ desiderari potest, sensum expressit quisque suum, ut aciem mentis luce, ut ita dicam, clarius perstringat. Ad eò ut cum Plutarcho lib. de Stoicis Contrariet. dicere liceat: *sensibili presente bono, & magnam ad malum differentiam habente, eum qui ex malo probus evasit, ignorare hoc ipsum, & presentem virtutem non sentire, sed putare malitiam sibi adesse, quomodo non est absurdissimum?*

Quid iterum causæ est hac in re, ut priora Ecclesiæ judicia cedere debeant posteriori cuidam, quo sperare videntur illi esse emendanda? Certè illa & numero plura & apparatu solemnitateque majora, & exquisitione examinis exactiora, & diuturnitate temporis magis firmata, & communi consensu ubique magis recepta sunt, quam quodcumque fingi potest ex adverso decretum. His utique titulis tanquam totidem fulcris innixi reclamabunt, qui Iansenii sensum pro hæretico habent; immò & prævalebunt semper. Atque ita Ecclesia Dei vehementiori perturbatione quatietur, Schismaque interminabile in ejus sinu fovebitur. Ex quo apparet Iansenii Discipulos non pacem Ecclesiæ spectare, dum restorationem judicii exposcunt, sed potius inducias qualdam, quò speciosiori sub fuce errores damnatos interim diffundant.

§. XIX.

Speciosa verba non sufficiunt ad eluendam labem hæreseos, nisi simul sensus Iansenii damnetur.

Immò verò, inquit, Pax Ecclesiæ facile restituetur, si suppresso Formulari nomen quoque taceatur Iansenii. Jam enim pluribus scriptis patefecimus nos non alium quam sensum Catholicum tenere. *Quid igitur opus est pro humanis factis aut hic aut inde manifestatis, aut ex utroque latere incertis litigare?* ait S. Augustinus lib. cont. Cresconium cap. 30.

Quinimmò nec ipsi silentium in excusando sensum Iansenii contulerunt, quamvis illud in euratione externâ solemniter promisissent; prout patet ex libello quem *le Phantôme du Iansenisme* inscripserunt, aliisque quos etiam ab Adversariis non provocati in lucem emisserunt. Sed nec à sensu Iansenii palam renovando abstinere, quem iterum variis propositionibus comprehensum Alexander VIII. condemnavit.

Esto itaque speciosis quandoque verbis abutantur quæ fidem Catho-

tholi-